



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Litterae Episcopi Praenestini Domino Papae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

pis patruus, & tantus Princeps vocaretur ab omnibus nepos tuus; ut cetera taceamus ex quibus tam tibi quam regno tuo & robur maximum & augmentum non modicum proveniret. Ne igitur debitum ei negare in derogationem tui nominis videaris cui teneris gratis etiam beneficia plurima liberaliter elargiri, rogamus serenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus pecuniam quam inclite recordationis Richardus Rex Anglorum frater tuus ipsi testamento legavit, pro tot & tantis necessitatibus, quæ incumbunt eidem, nuntiis ejus tam hilariter quam celeriter largiaris. Datum ut supra.

Scriptum est Cantuariensi Archiepiscopo ut inducat eum ad hoc.

REGI FRANCORVM.

Epist. 50.

Quanto major utilitas de concordia inter te & carissimum in Christo filium nostrum Ottonem Regem volente Domino reformanda creditur proventura, tanto serenitatem regiam ad ea quæ pacis sunt libentius invitamus. Ceterum magnitudinem tuam presentibus litteris volumus reddere certiorum quod si pacis fœdera inter vos divinitus fuerint stabilita, & ipse, quod absit, ab eis præsumeret resiliere, nos eum ad observantiam pacis per censuram ecclesiasticam cogere. Quod ne in oblivionem deveniat, sub cautione presentium pollicemur. Datum Laterani v. Idus Iunii.

LITTERÆ EPISCOPI PRÆNESTINI
Domino Papa

Epist. 51.

Beatitudinis vestræ mandatum devotione debita prosequentes, cum venissemus Treas, periculorum eventus & viarum dispendia ferè ubique passi, venerabilem fratrem nostrum Dominum Ostiensem Episcopum & magistrum Egidium Acolythum vestrum ibidem nos contigit invenisse. Quibus communicatis omnibus quæ à vobis suscepimus in mandatis, de communi consilio magister Philippus & magister Egidius cum vestris & nostris litteris præcesserunt locuturi cum Rege pro facto Ecclesiæ quod novissis & Principibus ad certum locum & terminum convocandis. Nos verò cum in Gallia partibus expectandum duceremus, Domino Ostiensi similiter ad expediendum suæ legationis officium secedente, donec à vobis & ab antedictis sociis nostris responsum acciperemus, propter sæpissimas inculcationes nuntiorum Ecclesiæ Romanæ, ne Gallicis nos quoque essemus oneri, coacti sumus versus Leodium festinare; ubi triduo commorantes, nuntios Domini Regis Ottonis & prædictorum sociorum nostrorum accepimus, nos litteris pariter & precibus urgentissime sollicitantes, ut, quia negotium nullam ulterius capiebat dilationem, & mora irrecoverabiliter apparebat damnosa, cum omni festinatione accelerare deberemus. Ceterum quia Dominus Ostiensis huic negotio maxime necessarius erat, directis ad eum tam Regis quam nostris & sociorum nostrorum litteris ut veniret, nos arrepto itinere apud Aquilganum Regi obviavimus congratulanti nimis de adventu nostro & cum devotione plurima se nobis offerenti: cum quo ingressi Coloniam, Principes quosdam ibidem die ipsis præfixa recepimus. Ad quosdam enim mandatum nostrum pervenire non potuit, quidam suscepto etiam mandato penitus accedere nequiverunt, & quidam venire noluerunt; & hoc eos noluisse deprehendimus, quia ne nostros reciperent nuntios, civitates & domus suas clausisse feruntur, Maguntinus præcipue, Spirensis, & Vvamaensis. Quidam præterea nuntij super eodem negotio à quibusdam Principibus directi, suspensio perierunt. Hoc etiam sanctitatem vestram latere non volumus, quod si negotium dilatum fuisset, quorundam corda Principum sic immutata videbantur quod in odium Romanæ Ecclesiæ tertium procreassent, nec nobis hoc in principio ita parere potuit sicut postea ipsorum intentio est plenius per as-

fiduam familiaritatem compta. Quare accepto consilio ab his qui honorem Ecclesiæ ac vestrum diligunt, in conspectu omnium qui convenerant litteras vestræ sanctitatis Regi & de ipsius receptione & approbatione cunctis exhibuimus, & cum de cetero auctoritate vestra publicè denuntiavimus Regem Romanorum & semper Augustum, excommunicatis omnibus qui se ei ducent opponendos. Quod utique tota quæ aderat universitas grante accepit, & super eo Deo & providentiæ vestræ benedictionum & gratiarum vota persolvit. Sanè quia factum hoc necesse erat melius solidari, aliud colloquium apud Corbeiam indiximus: quod ad taxatum terminum accedentes, coram iis qui ibidem convenirent eodem modo processimus. Eos verò qui se abique rationabili causa jam tertio citari absentaverant sub pena suspensionis & excommunicationis iterum duximus evocandos; quos, si non venirent, aut mandato vestro non obdicerent, secundum quod vobis placere noverimus, auctore Domino puniremus. Ea propter ad factum hoc laudabiliter consummandum, cuius gloriosus finis etiam gloriam pariet Ecclesiæ, nomenque vestrum continuabit in ævum, supplicamus celsitudini vestræ & quantum possumus suademus quatenus ad stabilendum id quod factum est & feliciter expediendum quod restat, secundum quod providentiæ vestræ melius visum fuerit, & presentium latore, de quorum discretione confidimus, frater Gub. monachus Cisterciensis, frater F. Canonicus Mottariensis, nuntij nostri suggesterint, qui quod in litteris minus est verbo supplere poterunt, manum consilij & auxilij apponant, & propositionibus adversæ partis, si accesserint, intendere non dignemini; istud pro certo scientes, quia si soli ecclesiastici Principes Domino Regi Ottoni à principio fideliter adhaesissent, vel adhuc eidem vellent viribus & animis adhaerere, nulla vel modica esset difficultas in ipsius progressu negotij, finisque desideratus nostris principis & nostris laboribus arderet. Hoc præterea certum sit paternitati vestræ, Dominum Regem expositum esse fecisseque omnia quæ imperastis, & facturum libenter singula quæ vita sua comere sibi duxeritis imperanda.

LITTERÆ MAGISTRI PHILIPPI
Notary Domino Papa.

Post pronuntiationem excellentissimi Domini Ottonis Dei & vestra gratia illustri Romanorum Regis semper Augusti Colonia in multorum presentia solemniter celebraram, quia & nobis & Domino Coloniaensi Episcopo ac aliis qui de consilio nostro erant videbatur quasi modicum profecisse, nisi matrimonij negotium, quod inter eundem Regem illustrem & nobilem virum Ducem Brabantie olim initiatum fuerat, per vigilantiam nostram & sollicitudinem completeretur, accessimus & Dominus Prænestinus & ego apud Trajectum superius super Mosam; ubi multorum Principum, Comitum, Baronum, & nobilium ex remotis partibus multitudine congregata, pronuntiatio illa quæ Colonia solemniter facta fuerat, ibidem fuit ferè solemniter repetita, & dispensatione præmissa, per juramenta nobilium ex utraque parte matrimonij fuit negotium confirmatum. Ex tunc autem præfatus Dux, qui cum Domino Rege non aquis passibus ambulabat, ita per gratiam Dei & merita vestra fuit in dilectione ipsius & benevolentia solidatus ut & in filium suum Regem ipsum assumpserit, & negotium imperij apud quoslibet esse proprium sub voce præconia protefteretur dicens: *Quicumque me diligit & meus esse voluerit consanguineus & amicus, in hujus mihi totis viribus articulo necessitatis assistat*, ita quod ex hoc de Los & Gelren Comites, viri nobilissimi & potentes, qui nobis se manifestissime opponerant & partem Suevi totis viribus tuebantur, incontinenti ubi eis innouit de hoc verbo, ad mandatum Domini Regis & beneplacitum sunt reversi. Fecit etiam præfatus Dux edictum generale per totam terram suæ jurisdictioni subiectam in quacunque domo duo, tres, quatuor, quinque, aut sex homines essent, uno tantum relicto, reliqui secum egredierentur ad pugnam. Omnes etiam amicos suos & consanguineos invitavit ad bellum, ita quod, sicut publicè dicitur, Dominus Rex tam cum Duce quam cum Domino Coloniaensi & Comite Palatino fratre suo, qui in omnibus potior pars consilij Regis & consilij nostri semper existit, & aliis Episcopis, Comitibus, & magnatibus terræ in expeditionem produceret centum millia armatorum; nec creditur quod eis aliquis resistere valeat, si duntaxat omni-

Epist. 52.
vide Godesfrid.
monach. 3. Pannal.
ad an. 1101.
Vide infra epist.
106.

Vide eundem ad
an. 1199. & supra
epist. 23.